




NOVA ZEMLA,

sive

Descriptio contracta

NAVIGATIONUM

trium admirandarum, à Belgis, per mare Hyperboreum in Chinam & Indiam Orientalem iter affectantibus, annis supra sesquimillesimum nonagesimo quarto, quinto, sexto irrito conatu tentatarum.

A

Auctore

DANIELE SCHEMERINGIO

FLISSINGANO.



FLISSINGÆ,

Ex *Officina Samuelis Versterrij.*

ANNO M. DC. XXXI.

40

Amplissimo, prudentissimóque

FLISSINGANÆ CIVITATIS

inclytæ Senatui.



Iri Ampl. Poëmation hoc filij, Gymnasio olim patrio exhibitum, nunc verò è papyracea eius supellectili prolatum, hortatu amici docti non unius, supprimi nolentis, posthumum Solem videt, & videt quà de auctore, quà de loco, qui exclusit, meritissimo mancipio vestrum. Vos serena, quæso, fronte acceptum ne aspernamini: & judices præbete eos, quos se boni bonis solent, hoc est, æquos, faciles, benevolos: memores, ut in bona segete nonnullum spicum malum invenias, ita in mala etiam aliquod bonum: nullumque esse scriptum ita malum, ut non aliqua ex parte profit. Quod si tamen in eo quid fortè minùs se probarit, Vestræque Ampl. non satis responderit: ætas auctoris excuset, & mors festina. Nec enim ita altum subvolare teneræ ætati promtum fuit, ut non uspiam impingeret: nec ita dare opus exasciatum ac lævigatum, ut cum torno & cothurno comparari posset. Quippe annos nondum quindecim compleverat, cùm lucubraret: & quod statuerat paucis ante morbum, qui finem ei vitæ attulit, mensibus, nempe ut interpolatum, perpolitum, ad lineámque & limam revocatum, ampliatum etiam daret, morte (proh dolor!) immatura præventus non potuit. Vitilitigatores fastidiosè tetrici, quibus oculos emissitios ac conturbatos in aliorum fœtus intendere, omnia non sua carpere, judicium non concoctum præcipitare, & si quid nonnusquam vile videatur, totum ut frivolum ac proletarium sugillare, unguibúsque adeo & obeliscis statim desævire voluptabile est, parum movent. Satis, si cùm alijs viam decurrendam filius præmonstraverit, & ad pertexendum feliciùs, tenuiter olim ille quod orsus, faces admoverit: tum vos, Viros Ampliss. posthumæ hujus opellæ contra obtrectantium morsus patronos faventes habuerit. Argumentum utique magnum, admirabile, novum, & à nemine, quod sciam, poëta hactenus tractatum. Quo nomine procul dubio etiam gratius accidet. Deus Opt. Max. in hoc ancipiti rerum statu consilia Amplit. Vestræ prosperet, regiminique florenti incrementa conferat. E Gymnasio vestro, Id. Iun. Anni à nato Servatore M. DC. XXXI.

Varro.
Plin.

Ampl. vestram

Reverenter colens

Tobias Schemeringius
Gymnasij Rector.





DESCRIPTIO NAVIGATIONVM

trium Borealium, à Belgis in Chinam & Indiam Orientalem frustra tentatarum.

BElgiacæ Eoos frustra nitentis ad Indos Propositio.
Clima per Arctoum non tentatum priùs ulli
Classis iter, miros casus, varióſq; labores
Erroréſque cano: quos non cùm barbarus audit
Temperet à lacrymis. Tu paucula suffice vati
Aonidum dux vera tuo. Tetigisse suprema
Sat mihi. Res graviore tuba dignissima. Vates
Olim maior eam totum sparsurus in orbem.
India Belgiacas clarescere cœpta per urbes Narratio.
Et quæstus animos, & castæ relligionis
Vulgandæ cupidos procerum rapiebat: at unum
Obstabat desiderio, via longa, laborum
Plena, & non dubijs medio loca foeta periclis.
Nempe meaturis ultro citróque secandum
Solis iter, non assuetis res noxia membris:
Infestúſque salum deprædabatur Iberus.
Ergo ineunt cœtum proceres, pensántq; periclum,
Sanandóque malo quæ sit medicina requirunt.
Mens non una viris. Potior sententia quorum
Visa, iter hi Boreale probant: Norvegica circum
Littora Russiacas suadent contendere ad undas,

Tartaricósque sinus, montes superare Tabinos,
Et circumflexo freta per Cathaïa cursu,
Chinæique feras spatiosi gurgitis undas
Tandem exoptatis Indorum allabier oris.

NAVIGATIO I.

Classis quatuor navium ab Hollandis & Zelandis, præfectis Gulielmo Berensonio, Cornelio Cornelidæ & Ioanne Hugio Linschoto, instruitur.

Sic visum. Classi ratio tempúsque locúsque
Dicitur aptandæ. Quatuor molitur ituras
Mattiacus Batavúsque rates, usúque peritis
Ignotúmque viris penetrare audentibus æquor
Instruit armatas. Corneliadæque satóque
Bernardo datur imperium: minor arte nec ullo
Additur artificum Linschotus: littore quondam
Qui patrio procul Indiacis habitaverat oris.
Fert animus cujusque vias tentare, locósque
Explorare novos: primo fortuna labori
Quæ fuerit, cœpti quæ sit fiducia cursus
Indiaci, quæ spes, ceu iussi, exacta referre.

Solvit à Texelia.

Austrino prætenta sinu jacet insula, spectans
Hinc Batavos, illinc Frisios, agrísque virísque
Terra frequens, herbis dulcíque uligine læta.
Quam quondam reliqua Batavûm tellure ruina
Divulsam graviore ferunt. Cùm protinus una
Terra foret, venit medio vi Flevus, & undis
Texelium Batavo latus abscidit, arváque ab arvis
Littore discludens angusto interluit æstu.
Martius hîc portus, statio famosa, profunda,
Ampla: sed accessu venti malè fida carinis.
Hinc iter. Ergo ubi prima fides pelagóque, salúmq;
Placatum, & lenis crepitans vocat Auster in altum,
Certatim incumbunt operi non tarda juventus
Nautica, præcipiti per littora tota feruntur
Discursu, stipántque rates, rebúsque paratis

Haud

Haud mora velorum ſinuoſa volumina pandunt
Cærula viſuri, retinacláque littore ſolvunt.
Et iam Mattiacæ certo Batavæque carinæ
Ordine Texelio portu tranquilla relicto
Alta per, optato ſectante à puppibus Auſtro,
Provectæ facili Norvegica littora curſu
Exſuperant, crebríſque legunt freta conſita terris.
Hîc priùs haud ignota viros Childunica primùm
Accipit hoſpitio tellus ſociáſque carinas.
Lintea fluxa legit pubes lætata, tenaci
Firmat dente rates: exin ſe robore promit
Tota cavo, gremióque novæ telluris amico
Fuſa cutem curat: factóque hoc plena ſecundo
Flante Noto rurſum lato dat carbaſa ponto.
Iámque ut velivolæ commiſſa voraginis Auſtro
Claſſis ovans iterum campo ſecura tenetur
Immenſo, ſtatióque viris uſquam, inſula, portus
Nullus in aſpectu: nil cælum præter & æquor:
Ecce poli æthereo ſurgens gravis urget ab axe
Auſtrorum crepitantium & horriſonûm nimborum
Tempeſtas. Cœlum ſine ſidere turget opacum
Halitibus furvis, denſúmque nigrantibus undis.
Proſpectum quocunque petas, nox nubila totum,
Terribili præſens facie minitata periclum.
Nec citum ventis languet mare. Surgit arena
Conſumtura rates, tellúſque occulta vadoſas
In cumulum ſuſpendit aquas: atque agmine facto
Dura tonant raucum glomerati ad littora fluctus.
Interea vaſto jactantur gurgite puppes,
Ventorum rabie pelagique furoribus actæ:
Nec ſic jacta tamen (mirum) ſic quaſſa laborat
Illa ratis, undámve capit, rimiſve fatiſcit.
Hîc geminum tentatur iter: pars littora ſævi

Norvegiam prætervehitur.

Tempeſtate opprimitur.

Duæ naves, quarum Lin-

Lap-

ſchotus & Cornelides præfecti, præter littora Lappica & Ruſſica feruntur.

† Fretũ VVaygats, Naſſovium poſtea dictum, trãſeunt, & ad flumina Tartarica penetrant.

‡ Reliquæ duæ præfecto Berenſonio in Septẽtrionem vectæ Novam Zemlam legunt.

Lappiaci legit alta ſali, quæ fortibus auſis
Linſchotúmque pares Corneliadémque vehebat,
Ruſſiaci rectóque maris petit æquora curſu.
† Hinc freta fœta malis, rabidíſque obnoxia ventis,
Interrupta quibus totum vix flabra per annum
Nomina fecerunt & Hyperboreï Aquilones,
Tartaricóſque ſuper ſuperant fluvióſque ſinúſque.
‡ Pars Bernardiadæ auſpicio & tutamine curſum
Altiùs inceptum peragunt, quóſque horrifer axis
Deſuper aſpectat gelidos Aquilonis ad ortus
Contendunt, Arctúmque petunt, ſeptémq; triones,
Iámque ter immenſo decies ſol luxerat orbi,
Cum juga & obſcuri colles, & inhoſpita Zemlæ
(Terra priùs Batavas vix nomine nota per oras:
Scilicet hybernis circùm uſque obſeſſa pruinis
Nec frondem novit viridem, nec graminis herbam)
Protinus apparent longè loca, littora ſeſe
Attollunt niveis informia molibus, alto
Sæpè gelu centum latè aſſurgentia in ulnas.
Tum Bernardiades, ſociûm ſectante caterva,
Lætior exclamat: ſed neſcius ille futuræ
Tam duræ ſortis, tot tantorúmque laborum.

Terræ Urſinæ propinquant.

Exin Zemlanæ præter fera littora terræ,
Tota recurvato multùm ſinuoſa Mæandro
Delatis vaſto oſtendit ſeſe æquore tellus
Vrſorum ſævæ gentis de nomine dicta.

Hìc ab urſo albo periculum.

Vix loca deventum latebris horrenda ferarum,
Cum ſubitò cæcum trux bellua deſerit antrum,
Impetuoſa ruit, metuendáque guttura ſpumat:
Monſtrum horrendum, ingens, cui non par Africa v
Bellua non alibi niveo ſpectata colore.
Rara feræ ſpecies & portentoſa: cruentos
Sæviùs illa oculos & ſæviùs ora ferebat

Mur

urmure cum magno, cúmque horriſono ululatu.
ttonitis inhians animis ſtupet inſcia viſu (quit.
urba virûm, reprimítque pedem, terrámque relin-
ntit, & inſequitur, rapitúrque ad littora præceps
anta feræ rabies, cœcique inſania cordis)
ulta fremens, pandénſque avido cava guttura rictu.
Hîc juvenem ſtimulis immanibus æmula virtus
xcitat, & mentem ad facinus memorabile flammat.
nus hic attonitos caſtigat, & increpat unus,
ectoráque incendit dictis, atque aggerit iras:
egeneres homines, ſocij, timor arguit. ohe
ortibus hîc animis opus eſt, hîc pectore firmo.
nulla accendit magnarum gloria rerum,
bas lœti nunquam ſuperabimus oras.
ſi cui virtus, animúſque in pectore præſens,
e ſequitor fidens, alacríſque in prælia mecum
rmator. Dixit. Nihil hîc cunctata juventus
æraque ad auxilium ſocij concurrit, in hoſtem
e ardet, rapit arma ferox, cymbáque ſoluta
bvia ſeſe offert monſtro, propiórque minanti
ſa minans contrà plumbum eminus igne coruſcum
irigit, excuſſa mediúmque ſubinde recludit
lande latus. Multam vomit atri ſanguinis undam
ulnus, & effuſo ſignantur littora tabo.
Ecce autem hîc viſu patuit mirabile monſtrum,
on audita feræ vis, ira, inſania læſæ.
cilicet attonitum primò ſilet: inde moratum
aud multa, impatiens accepti vulneris atram
pirantis ſaniem, collectis viribus, etſi
tima ſanguineo manarent viſcera rivo,
on tamen abſiſtit pecus: in conamina fertur
indictam meditans (quis credat?) & altiùs effert
inc cælo ſublime caput: acuit dolor iram:

Victo-

Victorem ulcisci victum parat, & mala præceps
Ardor agit pensare malis, ac vulnere vulnus.
Tempora nec differt iræ: quin littore licto
Semi animo in tumidos rapitur mox corpore fluctus
Impavidum, & magno molimine fertur in hostem,
Luctatúrque, valet quanta vi, & cominus instat.
Fervida & ipsa cohors in mōstrum fertur anhelum
Nautica, & instantis stupam cervicibus aptat
Circumfusa feræ, collo laqueúmque cruento
Induit, & remis annixa per æquora lembum
Ponè trucem ductans hostem spumantia vinctum,
Gnara mali malè venturi, Superavimus, ore
Clamat ovans uno: jam bellua fluctibus impar
Desinet irarum. Defessi fluctibus, armis
Spes erat hoc monstri (monstri, cui par priùs unquam
Fluctivagis nulli de gentibus Amphitrites
Obtulerat: monstri, quale & Bernardius ipse,
Qui nova, qui veterum senior monumenta virorum
Volverat, æquoreásque diu sulcaverat undas,
Audivisse unquam sese aut vidisse negabat,
Miratus rabiémque & inexpugnabile robur)
Navibus excipere, & quondam spectacula captum
In patrias vivum pelago deducere terras.
At frustra. Vanæ spes & fallacia vota.
En fera, quæ medijs lassata videtur in undis,
Iam propior cymbæ valido puppem pede prensat,
Conscendisse parat furibunda, & pectore prono
Desuper incumbit clavo. Perculsa virorum
Tota petit proram pubes, quærítque latebras.
At fortuna favet. Laquei remoratur euntem
Implicitum clavo vinclum, cohibétque furorem.
Deficit. Hîc hasta fera pectora perforat unus,
Fracto alter contos illidit in ossa cerebro.

Vita fugit. Cædis ſucceſſu læta juventus
Nautica terga rapit coſtis & viſcera nudat.
Pergit, & ulteriora legit vaga littora claſſis,
Tandémque Auraïcis provecta allabitur oris. Ad inſulas Auraïcas cum VValruſchis negotium.
Hîc verò nova res animos nec cognita turbat,
Bis centena jacent, ponti gens cærula, monſtra
Littore deſerto (Walruſchas nomine dicunt)
Hybernum ad vaſta ſe mole moventia ſolem:
Monſtra bobus majora & quadrupedantia: monſtra
Horrenda aſpectu, fera lumine, & auribus orba:
Delphinum caudas utero commiſſa repando:
Sed rictus avidos referentia & ora leones.
Duri ſicut ebur dentes, niveíque glabríque:
Tela pedes binos extantia bina palato:
Læve caput: duris non horrida tergora ſetis:
Ipſáque non terra ſolùm, non marmore nata
Vivere ſpumanti: loca permutare ſubinde
Sicca udis ſolita, hybernis gaviſa pruinis,
Læta gelu, & gravibus concedere neſcia nimbis:
Vel glacie in gratam excubias agitantia prædam:
Tanta quibus virtus, & tanta potentia, vix ut,
Dum caput integrum, lethali vulnere ſternas.
Tota virûm metuit conterrita turba periclum:
Nec metuit temere. Vires unius & iram
Scilicet experti. Nam vix benè littora cernunt,
De grege portentum nautis quando imminet unum
Dente ferox unco minitans, actúmque phaſelum
Remigio ſuperare parat, preſſúmque profundo
Mergere: merſiſſétque: ſed è graviore periclo
Res pavidos fors una viros rapit, éſtque ſaluti.
Tollitur à cunctis immenſus ad æthera clamor.
Hîc pecus ingenti captum formidine, charos
Extemplo blandis ultro ſua pignora natos,

Quos gremio interea de more abiecerat, ulnis
En repetit, preſſiſque ad pectora fida gemellis
(Tantus amor ſobolis, tam fœtus anxia cura eſt)
Proripit inde fuga, noto & ſe gurgite condit.
Non tamen his animus monſtroſa excedere ter[illegible]:
Et Bernardiades, quæ nunc ſententia ſurgat,
Percipite, exclamat, ſocij, & mea figite dicta.
Forſitan invicto pollent quæ robore ponto
Æquoreum pecudes genus, aut ſpumantibus undi
Non ea vis terra fuerit, non tanta poteſtas.
Vix ea fatus erat, ſocios ſimul arma capeſſant
Hortatur, genti bellum moveántque nefandæ.
Haud ſecus ac juſſi faciunt, quos dentis eburni
Imperioſa fames, & habendi cæca libido
Inſtigat, quos laudis amor: gladiiſque ruentes,
Sclopetis, haſtis, validíſque bipennibus inſtant
Neptuni ferro fœdare immania monſtra.
Sed neque vim membris ullam, nec vulnera tergo
Vlla ferunt. Validis confringunt ferrea coſtis
Arma viri. Solùm multis è dentibus unum
Excutiunt, ſecúmque ferunt, puppéſque reviſunt
Nec tamen abſiſtit cœptis, terrámve relinquit
Deſperans abitura cohors: graviora requirunt
Arma ſuper, curvo Mavortia littore certi
Tormenta expoſuiſſe, ſimul quæ neſcia vinci
Monſtra in diſplodant, & quamvis dura globorur
Impete, víque doment. Hic ſe candore nivali
Obvius infrendens offert redeuntibus urſus.
Traijciunt plumbo venientem & glandibus. Ille
Ocyor inſana nubes glomerante procella,
Molitúrque fugam læſus, pronúſque profundo
Volvitur in caput, ac rapido citus æquore fertur
Fluctibus in medijs: & ſic ſe lætus aquarum

Piſi-

Præsidio munit lethali fessus ab ictu
Semianimem. Illum ardens fugientem turba biremi
Sectatur, pavidúmque premit, remísque volantem
Vrget honoris amans, telóque & glande fatigat:
Seminecísque feræ jugulum mucrone resolvens
Pertrahit in glaciem. Iacet hîc sine robore corpus,
Cærula dum domitis repetant in littore monstris.
Hîc dum operi incumbūt alacres, stridentiáq; ære
Bellica demissos per funes ordine longo
Certatim socij pictis tormenta carinis
Expediunt, magno expostis molimine lapsus
Subijciunt, vinclísque trahunt, & littore sistunt
Adverso, explodenda super simul eminus omne
Quadrupedum glaucæ validum genus Amphitrites:
Crebrescunt Boreæ invisi, violentáque surgens
Tempestas sine fine fuit, penitúsque rigentem
Dividit heu glaciem, rimosáque pandit aquarum
Agmina cum gemitu, cúmque horrisono mugitu. Pergere ulterius glacies vetat.
It ventis labor, & studio vanescit inani,
Irritáque ambigui rapiunt conamina nimbi.
Qui posuere simul, non hospita littora crudis
Linquere plena feris, terras tentare remotas
Vlteriùs, quinam teneant, hominésne feræne
Quærere fert animus: juvat evasisse tot undas,
Littora tot, tot sævarum deserta ferarum
Lustra viros. Sed enim monstrorum examina passim Redire & socios requirere placet.
Æquore quòd superant, glacieíque undique cernunt
Congestos hyeme immani per littora montes,
Et crustâ apparet rigidâ intractabilis unda,
(Nam ferro validísque securibus exantlare
Tantum opus & fecisse viam labor irritus, ultrà
Nec lassis penetrare viris spes ulla) retrorsum,
Vela dare, & ventis cursus iterare relictos,

Deſertas nuper ſociáſque requirere puppes
Vnanimes, ſortémque virûm cognoſcere cernunt.
Socij in reditu ſe offerunt. Littora iámque legit retro Zemlana juventus,
Atque animum nunc huc ægrum, nunc dividit illuc,
In diverſa ruens, ac ſecum quæque revolvens
Triſtia ſpem, dubiúmque inter ſuſpenſa timorem:
Seu credant ſuperare viros, ac veſcier aura
Ætherea, ſeu jam crudeli occumbere fato:
Cùm varios ultro poſt caſus, mille pericla
Incidit in ſocias fortuna afflante carinas.
Ænea fulmineis flammis ſonitúque tonanti
Lætitiam tormenta procul Mavortia utrinque
Teſtantur diſploſa. juvat reducéſque carinas
Curſum ſuum exponunt. Aſpicere, & reduces ſocios, & jungere dextras:
Scitari ſortem, cognoſcere fata virorum,
Et veras ardent audire ac reddere voces.
Caſibus hi ſuperant: illos fiducia major
Spéſque tenet cæptum quondam finire laborem.
Scilicet illorum ſunt hæc compendia curſus.
Diverſo ſocijs ut limite dura relictis
Tendentes Lappana legunt jam littora, nec non
Æquora Ruſſiacæ penetrant contermina terræ,
Nota priùs ſeſe vix ulli plurima prodit
Inſula: quêis cunctis, ne poſt ventura ſileſcant
Secula, nec tegat ignota ſub nube vetuſtas,
Signatis tribuunt, ætas quæ poſthuma noſcat,
Nomina. Deîn longo magnum per inane volantis
Infeſtante rates nebulæ gravioris amictu,
Spem præter, ducente Deo, latúmque profundúmq;
Expertis ſubijſſe fretum, penetrabile, tutum,
Augeſcunt animi. Pergunt, tandémque in apertum
Vndarum campum, & gelidis minùs aſpera ventis
Æquora deſcendunt. Hinc uſque ad flumẽ Obinum,
Tarta-

'artarico è regno ſpacioſa per oſtia vaſtum
ı mare ſe magno exonerans molimine, curſu
elici penetrant. Errorum is terminus. Hîc jam
æta boum tandem campis armenta, pecúſque
ornigerum apparet frondoſa in valle per herbam.
pparent homines, hominúmque optata pateſcunt
oſpitia. Hîc feſſum reficit corpúſque animúmque
æta cohors: tenuj ſed iter remorante caniſtro,
ſtantíſque metu brumæ intractabilıs iræ
terius, iuſſo curſúſque labore peracto,
lauſtra ſali repetita ſecat, Naſſovia dicit
omine mutato. Iunctis exinde carinis,
laſſe ſimul ſalva redeunt, patriáque potiti
ellure, & ſeriem juſſi memorare laborum,
ognita, viſa ſibi expediunt: fructúmque laboris,
émque ſuis quondam explendi conaminis augent.

Salvi ſimul domum redeunt.

NAVIGATIO II.

Spes jam facta viæ, minuat quæ tædia, curſu
uæ Batavûm breviore rates Borealia præter
ttora devectas Indorum ſiſtat in oris.
rtuna meliore frui jam quilibet ardet.
ſius Auraïci ſtudium, patrúmque voluntas
omta patet. Monitis horum inſtinctúque ſecũdùm
attiacus Baſtavúſque pari certamine claſſem
ecernit: ſolitæ moliri finibus oræ
s ternas valido prægrandes robore naves
perat: inſtructis nummos commercia propter
a & merces ſtipat genus omne carinis:
uæ freta Ruſſiacis Zemlam tribuentia terris,
lim importuno ventorum à flamine dicta,
ınc ducis auguſto Naſſovi nomine, Belgis
n benè nota ſatis penetrent: & ſi ſinat ultrà

Nova claſſis ſex navium ab Hollandis & Zelandis adornatur.

Tendere multa mari glacies, nec vela retardet,
Tartariam superent, promontoriúmque Tabinum,
Indiacásque petant freta per Cathaïa terras.

Septima additur, quæ, ad Chinam ubi ventum, redeat, fortunam doceat.

Nec satis has ornasse rates. Adiungitur illis
Septima, quæ si læta novo fortuna labori
Aspiret, cursu prima ad Chinæa peracto
Littora, & in tepidum cæpto convertier Austrum,
Rellictis redeat sociis, rémque ordine pandat.

Provecta à Texelia classis ad Norvegiam in balænam dormientem incidit.

Vix Norvegiaci classis subit æquora ponti,
Improvisa rati cùm somno cominus uni
Obijcitur mole immani sopita recumbens
Balæna: & nova res animos inopináque turbat
Attonitos. Nec enim retro est convertere cursum,
Et rectà in vastum fertur ratis incita monstrum.
Quid faciant? magnum clamorem ad sidera tollunt
Vnanimes socij, iuxtà pulsíquè rudentes
Antennæque gemunt, & murmure carbasa rauco
Præpetibus rapidísque Aquilonum turgida flabris
Horrisonûm longo rectà subeuntia tractu
Plena sonant. Somno excusso sic protinus alto
Subductum fundo monstrum se gurgitis imo
Insinuat. Verùm non hæc diuturna voluptas.

Navis una in scopulo periclitatur.

Namque simul cursu mutato classis in ortum
Vertitur, alta legens Finmarchica littora, dictásque
A matre & natis vix cernunt æquore terras:
Qua rate Sibrandus vehitur, fidissimus unus
Ducentum, in cœcos heu crebrescentibus auris
Vrgetur scopulos, frustra (miserabile visu)
Luctatur, cursum saxo remorante: nec ipsa
Sufficit una sibi: socijs dat signa laboris.
Accelerant, adsunt, & vires viribus addunt
Certatim adnixi, trudúntque, trahúntque, levántque
Incassum: vanus labor omnis, inutilis ardor.

Illa

Illa loco malè mota manet: donec maris ira
Et Borea demum poſito ſpem præter acutum
Optatò evadit ſcopulum, ſeſéque periclo
Eripit. Attollit ſe tandem Zemlica tellus
Tota gelu circùm glaciéque obſeſſa rigenti
Perpetuo ceu monte: attollit & inſula juxtà
Auraïci ante duplex nomen de nomine nacta
Principis. Anguſtis rareſcit faucibus æquor
Naſſovium. Ingreſſis penetrandi copia deſit
Spem præter: glacie, heu, via multâ haud pervia, ter-(ram
Samoietûm inter, promontoriúmque. repertis
Nomen ab idolis ducens, & frigore pigro.
At ſinus ad lævam propior, portúſque pateſcit,
Portus ab incurſu glaciei tutus, & actis
Effera quem venti rabies non aſperat undis.
Hoc viſo, lævas proram cita torquet ad undas
Collecta rate tota cohors: ſtationis amore
Capta loco ſubit, & tabentia littore primùm
Membra locat, reparat vires, animóſque relaxat.
Tum decies quinos è cœtu protinus omni
Sorte legunt, lectóſque viros per littora longùm
Dimitunt, terráſque iubent luſtrare jacentes.
Haud ſecus ac iuſſi faciunt: atque ocyus omnes
Sorte datum ingrediuntur iter: vix littore licto
Pellibus & pingui gravium monſtróque marino
Cùm ſe rhedarum vis major euntibus offert,
Et ſuper apparent hominum veſtigia paſſim
Hinnuleíque leves. Pertentant gaudia pectus,
Et loca quantumvis habitari diſſita credunt.
Addita quin dubiæ creſcit fiducia menti.
Monte ſub æquoreo luſtrantibus idolorum
Apparent ſpecies, cinerúmque oſſúmque relictis
Molibus ambuſtis, ſacri documenta peracti.

Nova Zemla ſe oſtendit.

Inde gemina inſula Auraica.

Fretum Naſſovium tranſire glacies prohibet.

In ſinu ad lævam rhedæ, hominum veſtigia & idola reperiuntur: homines nulli.

Ten-

Tendunt ulteriùs, qui naturámque locorum
Expediant. quærunt. Nemo quærentibus offert.
Mirantur rerum ignari: sed qui tenet ardor,
Ex orientali littore mare Tartaricum sine glacie conspicitur.
Haud passus repetisse rates, invisere suadet
Littora, quæ radijs magè subdita matutinis.
Huc ubi perventum, viduum nivibúsque, gelúque
Conspiciunt mare Tartaricum. Gavisa juventus
Confestim ad socios redit, & quæ visa reportat.
Inspectum hi celerem mittunt mora nulla phaselum
Sed fretum ob glaciem non pervium.
Tartaricum freta per pelagus. Non pervia parent
Æquora, perpetuo glacie ceu monte sub auras
Congestâ. Ergo viri rellicto ad littora lembo
Lustratum extremas currunt pede marmor ad oras,
Tartaricísque vident è fluctibus eructatâ
Russiacæ urgeri glacie undique littora terræ:
Et freta circumsessa gelu sic clausa teneri
Vltima, nulla rati penetrandi ut copia detur.
Russica se offert navis.
Ecce autem interea speculantibus obvia nautis
Russica fit navis, pecudum pinguedine larga
Æquoreûm gravis, & permagno dentis eburni
Pondere. Fidentes animi simul agmine certo
Protinus accedunt Belgæ, puppíque propinquant.
Barbara turba videt, sortem miserata virorum
Vndique circumfusa ruit, positáque severa
Barbarie, facili facie, gestúque benigno
Accipit errantes ultro, blandúmque salutat.
Nec sic accepisse sat est: bis pinguia denûm
Corpora palmipedum (regio namque omnis abundat
Ansere) dona ferunt. ô officiosa voluntas
Barbara! Belgiacas super inspectura carinas
Præceps turba ruit: videt inconsueta, stupétque
Aspectu primo: miratur singula membra,
Antennas, proram, puppim, acroteria, malos,
Carba-

Carbaſa, roſtra, foros, alvum, tabulata, rudentes:
Miratur niti dúmque habitum, faciémque ſuperbam:
Miratur molem, miratur & armaturam.
Hæc dum Ruſſiacæ genti miranda videntur,
Dum ſtupet aſpectans, obtutúque hæret in uno,
Ductores adolere focos, epuláſque recentes
Inſtaurare jubent. Cum Belgis Ruſſica turba
Diſcumbunt, ſtructíſque agitant convivia menſis.
Interea dapibus dum ſic veſcuntur opimis,
Belgica gens ſcitatur iter: num copia detur
Vlteriùs penetrare rogat: ſi pervia claſſi
Sint freta, Tartaricíque ſinus, qua parte pateſcant,
Hortantur fari, curſúſque & ſigna docere.
Talia conſultus multùm quærentibus illis
Maximus è Ruſſis placido ſic pectore reddit:
Quæ de Tartaricis ſententia noſtra ſit undis,
Et mare num veſtris pateat glaciale carinis,
Expediam, & paucis (animos adhibete) docebo.
Tartaricis naves nunc expectantur ab oris,
Vecturæ hinc noſtras vicina per æquora merces
Longa, viri. Sed bis poſtquam Phœbeïa lampas
Circumijt, rutilúmque bigis confecit Olympum,
Bina novùm verſo reparans ſua cornua tractu:
Quæ fera nunc validis tumefacta movetur ab Auſtris,
Cœruleo concreta gelu, ceu marmore duro,
Vnda diu, haud vento cedens, haud pervia puppi
Stabit iners: ſiccis pedibus calcabitur æquor.
Hæc ubi dicta dedit, & edendi victa libido
Longa cibo, & pleno jejunia pulſa caniſtro:
Et tu lætitiæ exhilarans languentia dudum
Bacche dator dulci reparaſti corda Lyæo:
Haleces, quas antè cadis onerarat acernis,
Et ſale condierat puro, largáque natantes

 Navita

Navita Belga priùs patrijs abiturus ab oris
Tinxerat in muria, rara pinguedine cunctas,
Ingentésque, gravésque, & obeso ventre novellas,
Muneris accepti non immemor ille recentis,
Nec sua Russiacis concedere munera passus
Muneribus, plena lætus depromit ab orca
Ter centum, quæ sint abeunti dona catervæ.

Ad dextram Samoietarum regio visitur.

Terra procul vastis colitur malè cognita campis
Zemlanæ ad dextram gelidæ contraria terræ:
Samoietæ habitant, gens effera, inania saxi
Excisi, pictíve colens ludibria trunci,
Tota superstitionis amans: gens corpore parvo:
Ampla cui facies, frons aspera, luminis orbis
Arctior, exiléſque pedes, contractáque crura:
Paupere gens tecto, mensáque, & paupere cultu.
Colligit intonsos nodus cohibétque capillos.
Ni faciat, sine lege comæ criníſque solutus (lestus
Diffluat, immissúſque humerum per utrumque mo-
Spargatur, detúrque vagis diffundier Austris.
Corporibus cœlique minas, frigúſque malignum
Horrida defendunt cervorum tegmina: pendent
Vertice pelliti velamina picta galeri
Nare tenus: toto de corpore nil nisi nigra
Nubiláque ora vides, & promula labra. volantes
Sæpe juvat de more trahas agitare: modò unum
Aeripedem longo solum, modò jungere binos
Temoni hinnuleos, rapidáque insistere rheda:
Et glomerare solo cursus, & tollere campo
Pulveream nubem, dextráque minante rotatis
Quadrupedi flagris faciles volitare per auras.
Samoietarum hi mores habitúſque. Iuventus,
Dum glacies tenet, hos invisere nautica gaudet.
Littora vix dictæ gentis tetigere carinæ:

Cùm

Cùm rapuere diem fumi cœlúmque frequentes
Nautarum ex oculis, cœlo nox incubat atra
Horrentis nebulæ, & furvo velamine terras
Induit, & tetris circùm fœtoribus opplet:
Bis deníque viri nebulæ tristis per amictum
Succincti pharetra & villoso tegmine cervi
Occurrunt: hærent lethalia spicula tergo.
Iámque adeo hospitibus propior fera turba sagittas
Depromit pharetra, liquidásque infesta per auras
Hamatum vibrat peracuto cuspide ferrum.
Cernit, Russiacáque minis absistere lingua
Hortatur, fratres esse & socia agmina clamans
Interpres. Turbæ quæ vox ut venit ad aures,
Arcúmque & celeres, retinet quas dextra, sagittas
Abijcit in terram, & propior iam colla capútque
Leniter inclinat gentis de more, salutem
Impertítque simul, gratatáque comiter omnes
Accipit adventum. Testatur & ipsa benignum
Advena turba animum, fortunam exponit, eorum
Consilium petit: exquirit, num copia detur
Spésve sibi penetrare fretum, pelagóque potiri
Tartarico. Contrà placido quibus ore profatus
Vnus de numero dedit hæc responsa, dedítque
Fida satis. Summam socij cognoscite rerum:
Pauca modò expediam vobis: nam cætera nosse
Fama vetat, faríque loci distantia fallax.
Quinque adeo cursum peragenti puppe dierum,
Extremósque procul superanti per mare montes
Amplum ultrà restat pelagus. Benè cognita pando,
Visa ego, vera cano: vos condita mente tenete.
Sic ait, & dextra, ratibus quà sit via, monstrat.
Belgæ abeunt grati hospitibus, puppésque revisunt,
Prensámque extremo statuam fòrs littore condunt.

Cursus à Samoietis docetur.

Vix navem ingressi, rapida cùm barbarus unus
Rheda vectus adest, sacrum qui littore tollat.
Vt videt ablatum furtumque agnoscit, habenas
Quadrupedi laxat, sceleris patiens malè: rectà
Fertur in autores, puppi insilit, invenit: útque
Avehit inventum, calida flammatus ab ira,
Gestúque admissum & tacito scelus arguit ore.

Fretum Nassovium penetratur.

Interea classem velis aptare jubentur
Collectam, fiat vento mora ne qua ferenti,
Iussa viri faciunt, portúque ferentibus Austris
Excedunt: freta nota petunt, penetrántque secundis
Auspicijs: primo aspirat fortuna labori.

Ordinum insula ad Tartariam capitur.

Intrant & mare Tartaricum, cursúque peracto
Ad dextram, patriæ capiunt quæ dicta parentum
Nomine barbaricis propior iacet insula terris.

Tartariæ littus infeliciter visitur.

Hinc pars Tartaricam curato plurima terram
Corpore visendi studio petiere, profano
Baccarum capti & gemmæ candentis amore.

Duo nautæ ab ursis lacerantur.

Hîc verò nova res & lamentabile damnum
Obijcitur miseris, nec provida pectora turbat.
Namque ut de numero prostrati corpora bini
Procumbunt socij malè noto littore, nec non
Fessa soporifera relevant sua membra quiete:
Vrsus adest subitus, sociorum fervidus unum
Dente petit, rectáque minans in guttura fertur.
(Horresco referens) morsu miser excitus altum
Ter quater ingeminans clamorem ad sidera tollit.
Excutitur somno socius, sociúmque laborans
Ipse laborantem magna formidine captus
Deserit, arcessit reliquos, rémque edocet. Illi
Armati bis deni adsunt, hastísque vorantem
Sclopetísque petunt. Datur hæc spes unica, saltem,
Si vivo nequeant, non vivo posse potiri.

Sentit

Sentit (mira feræ rabies) prædáque relicta
Confestim rectà ruit imperterritus, agmen
Fertur in armatum, medióque ex agminis unum
Heu rapit, & lacerat miserè, reliquósque subinde
Vnà omnes premit attonitos (miserabile visu)
Persequitur per saxa furens, vallésque reductas.
Cernit, & extemplo cunctis à navibus ardens
Turba virûm venit auxilio, subit ira cadentem
Vlcisci socium & sceleratas sumere pœnas.
Iámque fatigatis redit in præcordia virtus:
Exardent ignes animo: vim viribus addunt:
Arma armis jungunt. Tum sic armata caterva
Tota feram procul aggreditur. Nihil illa moratur
Eminus aspectos gladios, nec tela, nec hastas:
Rellictam repetit, vorat haud exterrita prædam.
Tres tandem è numero spectati fortibus ausis
Intentam spolijs adeunt, sclopúmque vorantis
Ignivomum in caput exonerant: glans tempora trãsit.
Illa, gravi quamvis lassatum vulnere corpus,
Non tamen absistit, non prædam deserit, usque
Dum sanie & largo fera membra fluentia tabo
Deficiunt tandem: simul accurrente caterva
Sclopetis, gladijs, telis prosternitur, & sic
Luctantem multo vitam cum sanguine fundit.
Quo facto, comitum semesa cadavera tristes
Barbaricæ mandant terræ, condúntque sepulcro.
Nec multas stantem luces tenet insula classem, Glacie ulterior cursus impeditur, & domum reditur.
Terræ infelici nimium vicina. Carinas
Littoribus solvunt, pelagúsque ferentibus Austris
Tartaricum mensi findunt, ultróque citróque
Velificant, ratibus penetrandi an copia quærunt.
Verùm ubi nulla datur pelagus superare potestas,
Et glacie loca cuncta vident obsessa perenni,

Spe vacui, réque infecta communibus omnes
Consilijs redeunt, relegunt errata retrorsum
Æquoráque, & patrio potiuntur littore puppes.

NAVIGATIO III.

Ab Amstelodamensi Senatu duæ naves apparantur.

Iámque simul Batavas classem rediisse per urbes
Claruit, & studium vulgavit inutile velox
Fama: patres dux Auraïcus mora nulla suëtam
Convocat in sedem. Mœsti conamina discunt
Irrita: bísque adeo Boreali climate frustra
Tentato, bis barbarico rate marmore secto
Incassum, pensántque moras, pensántque periclum:
Et quod consilium, quæ sit sententia, quærunt.
Scinditur incertus studia in contraria cœtus.
Namque malo graviore viris, & sorte secundùm
Adversa attonitis, mens non una omnibus: unum
Hic probat, ille aliud. Levior sententia quorum,
Publicitus, velut antè, novas non pectore fracto
Hortantur, suadent rursum instaurare carinas,
Auspiciísque iterare fretum melioribus optant.
At quorum potior surgit sententia menti,
Irrita jamdudum mittant tentamina clamant
Publica: sin iterum de tot fòrs urbibus una (verset
Vrbs qua velit, studiúmque novum & nova pectore
Consilia: aut etiam si mercatoribus ultro
Impensis placeat proprijs fecisse periclum,
Copia tentandi fiat: cursúque peracto,
Si faveat fortuna viris, sat præmia tanto
Digna labore ferant. Vincunt hi: ast omnia iuxtà
Oppida mercatórque silent. Tot solius inter
Amstelodamensis studiúmque animúsque Senatus
Apparet. Ergo binas navalibus ornat
Extructas promítque rates: Cerealia stipat

Mu-

Munera: nec desunt merces: audentibus addit
Ire viris animos: suadet penetrare laborent:
Præmia victori statuit, dignámque labore
Mercedem: armatas annis usúque peritis
Instruit inde rates ducibus. Hemskerkius uni
Párque illi Bernardiades ingentibus ausis
Præsidet, alterius Ripanum cura fatigat.
Iámque adeo solvit Flevolando à littore classis,
Littore, Texelio ad Boream dextrámque propinquo.

Solvit à Flevolandia.

Illa ferente Noto fertur: verùm omine fertur
Infausto. Præsaga mali heu nova monstra futuri,
Hinc intercisos atque illinc iride cinctos
Ordine Titanas longis rutilantia flammis
Nubila flagranti ternos ostendere cœlo.

Triplex Sol, iride multa partim cinctus, partim intercisus apparet.

Miratur triplices se prodere nubibus igneis
Turba virûm: meteora parum sibi cognita, nunquam
Visa priùs meteora stupet, trepidátque, pavétque:
Nec pavet immeritò. Sed enim formidine tandem
Pulsa animos lapsos virésque recolligit: orsum
Vrget iter: cœptum pudor est abrumpere cursum,
Et versa ad patrios puppi remeare penates.
Interea medio sulcantur ut æquora cursu,
Miscetur trepidos inter discordia nautas.
Præfecto præses, ductori cedere ductor
Navita, vírque viro nescit, sociòque sodalis.

Præfecti Hemskerkius & Ripanus dissentiunt: cedit Hemskerkius.

Ripanum in primis Hemskerkiádemque coorta
Ductores inter lis: rixa inopina molestum
Turbat iter. Dextrum latus hic probat, ille sinistrum
Præfractus tenet, & monitis parere recusat.
Donec ad extremum cedens Hemskerkius ultro
Inde ratem iungítque rati, lævúmque secutus
Pacis amore tenet. Longè hîc glacialia primùm
Vtraque, candentes forma referentia cygnos,

Frusta

Frusta subit, vasta se mole moventia ponto:
Et virides aspectat aquas. Mox se insula nomen
Vrsorum rabidis ducens ostendit ab ursis.
Nautica turba putans falsò Gronlandica cerni
Littora, conspectas proram convertit ad oras.
Quas tetigere simul, fulicarum mille reperta
Ova legunt socij, littus quibus affluit omne:
Altáque prærupti superant fastigia montis
Præ studio, glacie nivibúsque horrentia densis.
Sed revocare gradum, littúsque evadere ad imum
Hoc opus, hic labor est. Veriti descendere lethum
Non audent. Tandem prosternere corpora cernunt,
Applicito tristíque iugis discrimine tergo
(Perpetuis quia mons horret radicis ab imo
Rupibus obsessus, scopulísque minatur acutis)
Præcipiti motu loca per declivia ferri
Lubrica. Sic per glabra ruens longo ordine tota
Turba faveute Deo non læso corpore fertur.

In insula Ursina periculum à monte.

Periculum ab urso albo.

Gaudia curta. Novum superata pericla periclum
Excipit. Vrsus atrox, candens se abeuntibus offert.
Vltro adit hunc solers, urgentíque eminus instat
Turba scaphis, collo parat intentare rudentem
Spumanti. Sed enim terrent immania membra,
Vis terret, moléque feræ, robúrque furentis
Indomitum. Ergo virûm trepidans armatur inermis
Bello tota cohors, bellúmque facessit. At ille
Telorum haud cedit segeti, ferrúmve tremiscit.
Vna tamen favet incœpto benè acuta bipennis.
Scilicet illa feræ capulo tenus abdita cœcis
Tergora vulneribus fœdat, hærétque cruenta
Visceribus. Natat hæc tamen, & se læsa profundo
Proripit. At postquam volucri prævertitur inde
Remigio, mediæque illiditur altera fronti

Lan-

Languentis minùs haud aliâ violenta securis,
Procumbit tandem mactati more juvenci,
Et mistum spumis moriens vomit ore cruorem.
His actis dant vela viri, terrámque relinquunt
Invisam, glaciémque secant, quæ plurima ponto
Incubat. Et iam ortúmque inter septémque triones
Littore provectis longo, ut sublimiùs æthra
Octonis decies gradibus suspenditur axis,
Arva procul se circuitu Gronlandica vasto
Tollunt, gramineísque comis (mirabile visu)
Obsita, & arborea passim viridantia fronde:
Plena feræ, omnigenûmq; adeo fœcunda volantum,
Vt, cùm se agminibus factis per inania librant,
Incertúmque volant, cœlóque examina ludunt,
Et crebris rapidas quatiunt clangoribus alas,
Pennarum sæpè impingant in carbasa cœco
Remigio, velum pulsent, feriántque rudentes.
Hæc loca contingunt, fida & statione potiti
Vela legunt, fessas firmántque in littore puppes.
Ecce autem ratibus dum nautica turba saburram
Quæritat hîc, ursus tranquilla per æquora candens
(Horresco referens) immani bellua tergo
Incumbit pelago, & superato pectore fluctu
Naviculam petit, ac proræ simul implicat ungues,
Luctatur, superat capite & cervicibus altis:
Et vix vi ac rigidis à prora avertitur armis:
Donec iners triplici circumsessa undique lembo
Bellua, vulneribus crebrísque evicta, furoris
Argumenta sui linquens, signa unguium acernis
Expressa in proræ tabulis, nunc exerit ultro,
Nunc caput immergit pelago, libratáque jactans
Crura, suo moriénsque gravi se in vulnere versat.
Postera vix umbras lux solvit: vela carinis

Gronlandica littora leguntur.

Ursus infestat.

Iter glacies

impedit, & ad insulam Ursinam reijcit.

Aptantur, Zephyro fiat mora ne qua ferenti.
Aura favet: sed iter glacies remorata repellit
Vrsini puppes malè grati ad littoris oras.

Dissentiunt præfecti.

Hîc nova præfectos inter contentio surgit,
Ménsque haud una ducum studia in contraria fertur.
Ripanus loca visa priùs Borealia rursum

Ripanus re infecta domum redit.

Puppe petit, notæ regionis littore lecto
Eoo, ulterius sperans penetrabile marmor.
Verùm exantlato terráque maríque labore
Nequicquam vario, spe nulla, inglorius, alto
Littora retrorsum relegens errata remenso,
Multa ratem patrijs quassatam sistit in oris.

Hemskerkius cum Berensonio Novam Zemlam potit. Inde Boream versus tendit.

At Bernardiades animo & spe plenus in ortus
Phœbeos convertit iter, tandémque potitur
Zemlanæ non ignoto sibi littore terræ.
Radit eam propior fugitans, dextrâque relinquens
Arctoa ulteriùs verso per climata cursu
Transmittit varijs passim freta concita saxis.
Erranti attolit sese Crucis insula, nomen
Erectis hoc à crucibus sortita gemellis.
Occupat hanc glacie cursum remorante carina.

In insula Crucis ab ursis infestatur.

Turba virûm pertæsa sali huc bis quattuor exit,
Certatímque crucem, propior quæ, visere tendit.
Quam propter sævæ gremio vix languida terræ;
Sternitur infelix, funditque exercita curis
Fessáque sub dîo malè certæ membra quieti:
Altera cùm niveos crux dissita longiùs ursos
Ostendit geminos immani corpore, sursum
Membra cruci erectos, speculantes eminus, ínque
Ora viros fremebunda procul conversa tenentes.
Horrida frendentum vox ut pervenit ad aures,
Abrumpit, trepidóque excludit pectore somnum
Obstupefacta cohors: nec ferro cincta, pavénsque

Præci-

Præcipiti dat terga fugæ, quanto impete, quanta
Vi potis est, titubans usque, & cedentia retro
Navigium latebrásque petit, vix læta periclum
Effugit, & casu vitam graviore tuetur.
Et jam roriferas noctis deterserat umbras
Clara dies: dubio erigitur crux littore nautæ
Tertia: quâ signis, quâ charactere notatâ,
Sulcat inoffensas placidi ratis æquoris undas
Leni vecta Noto, & vacuo glacialibus alto
Molibus exuperat montes Solaminis aspros
Infelix. Nam vix portus subit ostia puppis,
Cùm nebula subito cœlum omne involvitur atra:
Circumfusa ruit nivium vis magna: secuta
Tempestásque animos inopino turbine turbat.
Nec modò turbat hyems: augent discrimina curas
Perculsis permagna recens oblata priores.
Sedulus excubias agitans de more fideles
Nauta foros supra citro ut spatiatur & ultro,
Fortè feræ ronchos sonitus ducentis ad aures
Pervenit. Ille stupens simul alto prospicit, ursum
Vasta mole ratem iuxta superare minantem
Vnguibus agnoscit: socios tremulo simul ore
Excitat inclamátque viros. Illi ordine longo
Approperant omnes, vocémque ad sidera iactant.
Quâ primùm perculsa procul fera proripit ultro.
Sed redit illa gravis rabiéque animóque, remensáque
Inde via gressu stabili peiora minatur.
Turba virûm hoc viso sclopis instructa quaternis
Ignivomis, omnes adversum explodit in hostem
Vrgentem pariter glandes, mediámque minantem
Traiicit. Illa simul tergo fera vulnera sentit,
Occulit aufugiens sese, quærítque latebras.
Tum verò gravior casus, maiúsque periclum

Montes Solaminis attingit.

A navi ursum vix amovet.

Periculum na-

vi à ſcopulis glacialibus.

Ingruit. Hinc illinc extruſo fragmine multo,
Mole ratem magna glacies circùm obſidet, urget
Fortiùs adiutante Noto, & velut aggere claudit.
Sed quæ cura virûm & ſortis favor, ilicet omnes
Certatim contis validis, longíſque ſubinde
Trudibus annixi luctantem multa carinam
Expediunt: Iámque illa fugit, ventóque ſecundo
Radit iter: verùm malè fida ac lubrica verſat
Has fortuna vices: miſeros nova cura fatigat,
Anxia cura magis, perculſáque pectora ſternit.
Quippe minus pubes vix nautica læta periclum
Effugit, in maius cùm præcipitata laborat.
Stat mediis ſcopulus glacie concretus in undis
Marmora rauca inter, denos ter & amplius altus
Qui cubitos, quinas ab aquis aſſurgit in ulnas,
Cætera depreſſus longùm ſub gurgite cœco
Delitet. Acta ratis ſubit hunc: diſrumpitur ille,
Et ſeſe plùs quàm ſexcenta in fragmina ſpargit.
Vnde fragor tantus, ſociorum ut frigidus horror
Membra virûm quatiat, celſum ſonus æthera pulſet.
Haud mora perplexis incumbit navita contis
Impiger, avertit proram, laxátque rudentes:
Spémque adeo præter vitámque ratémque periclo
Eripit. Occurrunt ſimiles pergentibus ultrà
Binæ mole gravi cautes: quarum una ſub undas
Quinquaginta latet cubitos depreſſa, ſupérque
Humida ter denis ſuſpenditur altiùs ulnis:
Altera mole minor paullo. Declinat utramque
Forte favente ratis: pelago hinc decurrit aperto:
Aura ſecundat iter: provectóſque inſula duplex,

Ex inſulis Auraïcis in Novam Zemlam tranſmittitur.

Nomen ab Auraïco ducens heroë, carina
Accipit incolumi. Rellicta ubi littore puppi
Expoſito Zemlam ſocij bis quinque phaſelo

Viſum

Visum adeunt: vasti qui celsa cacumina montis
Ascensu ut superant, terram explorántque iacentem,
Cognoscúntq; situm: porrecti ortum inter & Austrũ
Perlongùm, & vidui glacie crustáque rigenti,
Spem præter placidi spaciosa silentia ponti
Repperiunt, socijsque hilares quæ visa reportant.

Mare ad ortu.n sine glacie videtur.

Voce exoptata reducum lætata iuventus
Afflictis audet meliùs confidere rebus,
Et tentare novas malè noti gurgitis undas:
Frustra. Namque ortum flexo per cœrula cursus
Phœbeum versus iuga per glacialia, vim per
Aequoreûm vecti pecudum, saxa aspera montis
Vix Desiderij præterlabuntur ovantes:

Pergitur ad promontorium Desiderij.

Cùm nova turrigero tempestas ingruit alto
Horrida: multa Notus glaciei fragmina præceps
In puppim collecta ferit, metuenda minatur.
Volvitur in glacie navis, quassatur acutos
Concretis velut in scopulos rigidi maris undis,
Indomitíque gelu reboantibus ictibus hærens
Personat, obluctansque crepat, rabidóque laborat
Errabunda salo. Montes superare Tabinos
Haud spes ulla super, cursúque ad vota peracto
Felici patrijs successu allabier oris.

Tempestate navis conflictatur.

Ergo Eoa virûm Zemlanæ littoræ terræ
Radere fert animus, cursum convertere in Austrum
Obliqua regione sali, claustróque remenso
Nassovio, reduce in patriam remeare carina.
Irritus ast labor est, studiúmque & inutilis ardor.
Quippe viam meditantibus hàc via nulla patescit.

Tenditur frustra in Austrũ ad fretum Nassovium, animo redeundi in patriam.

Cuncta tenet glacies, versa & dare lintea cogit.
Hîc Desiderij attonitis visum loca præter
Nota vehi rursum, peraratáque littora retro
Ad Boream legere, & qua ventum parte redire.

Reditur ad promontorium Desiderij.

Obsidetur navis glacie.

Sed

Sed neque permittit glacies. Hæc impete magno
Concita triste furit, sublatáque æquore prorâ,
Deprimit ipsa vado puppim, mergítque sub undas,
Et laterum tabulas repetito verbere laxat.
Adiuvat urgentem stridens Aquilone procella
Importuna fero glaciem: ruit illa carinam,
Illidítque vadis, turritóque aggere cingit.

Cibus, potus, arma exportantur.

Iámque adeo navis facta est ut inutilis, impar
Fluctibus insanis, furijs labefacta profundi
Gurgitis, impatiénsque Noti, pelagíque gelati:
Fidere non audens glaciali pondere pressæ
Quassatæque Aquilone rati, rigidáque gementi
Mole sub, haud segnis (quamvis lassata labore
Membra gravi dudum, curísque ingentibus ægra)
Nautica turba penum exhaurit: exhaurit onustos
Puppe cados, promit Cererem exportátque phaselis
Provida fluctivagis, udóque in littore sistit:
Vt, si tristis hyems, si non tractabile marmor,
Altiùs & crescens glaciei ferrea moles
Fòrs illic teneat, patriósque redire penates
Imperiosa vetet, habeant, latrantis acerbam
Quo stomachi rabiem miseri & ieiunia pellant.

Expediunt genus omne super, trudúntq; trahúntq;
Arma viri, pariterque annixi ad littora sistunt,
Fulmineos enses, hastas, validásque bipennes,
Perfusas saniéque nova, multóque rubentes
Sanguine quadrupedum concreto & cæde ferarum:
Nitrato plumbum & glãdes cum pulvere, sclopúmq;
Ignivomum, rapidísque imitantem fulgura flammis
Horrida: quæque utero Mavortia machina fœto
Tela gravi ructat glomerante volatica ferro
Intus hians, flammámque vomens attollit ab ima
Fauce accensa globos, teretíque expirat ab ore,

Et

Et procul horrificis mugítque tonátque ruinis.
Instrumenta simul promunt fabrilia, cymbas
Si laceras reparare velint, ne fortè requirant
Incassum. Quin & casulam ædificare remoto
Littore fert animus, pigræ quæ frigora brumæ
Crudeles pecudúmque minas rabiémque ferarum
Arceat indomitam. Sed ligni copia desit,
Materiámque negans miserûm non annuit ora
Consilijs. Quid agant? Desint cum cuncta, parentis
Non sola ætherei queribundæ cælica genti
Numina, visque favórque deest. En provida cœptis
Aspirat iam cura Dei, præsénsque laborans
Navita cognoscit numen: fert æthere summo
Auxilium afflictis pater: infœcundáque ligni
Lignorum regio (mirum) procurat abundè.
Namque ut de numero dubius nauta unus & alter
Littore deserto, curísque ingentibus æger
Explorare situm terræ, sortémque virorum
Discere demissus, nebulæ caligine turpis
Involvente diem, ruit errabundus, & usque
Huc illuc agitur citróque ultróque locorum
Ignarus: dextra facili ducente viámque
Præmonstrante Dei, non sese flumine tantùm
Optatò manans prodit spem præter amæno
Largus aquæ rivus, nitidique è rupe liquores:
Sed magis opportuna etiam res dulce laborum
Solamen se offert trepidis, mulcétque labantes
Sustentátque graves animos, atque aspera quamvis
Fata levat, minuitque feræ mala tædia brumæ.
Fluminis en ripam vicináque littora circùm
Lignorum vis magna tenet, validissima fagi
Fragmina truncorum: tum sesquipedalia pini
Pondera, populeæque trabes & fissile robur,

De domuncula ædificanda consilium capitur.

Ligna præter spem inveniuntur.

Tarta-

Tartaricis olim Zemlanæ finibus oræ
Russiacísve mari vento devecta propinquis.
Zemlica nam quid tale Aquilonibus aspera canis
Terra ferat? quam non viridantes cespite campi
Florigero, non prata beant, non gramina pingunt,
Non herbæ: non lenta salix, non pinus obumbrat:
Non lætam seges ulla facit, non ramea proles:
Cuius non rigidum molitur vomere quisquam
Perrumpítque solum: nive quæ vestita perenni,
Iugi clausa gelu, semper glacialibus horrens
Aggeribus, nunquam rigidis viduata pruinis.

Asportatur materies.

Ergo inopina requisiti ut data copia ligni
Asportata mari, pertentant gaudia pectus.
Scilicet ædiculæ lignorum turba locandæ
Nautica, perpetuóque foco, qui frigora brumæ
Vrentis longùm vincat funesta, struendo
Deputat esse satis: quibus infeliciter orbos
Dira procul dubio misissent frigora letho.
Interea ut cessant nebulæ, tetríque vapores,
(Namque hi bis quinas cæca caligne luces
Obtenebrare solum, & latè corrumpere totum
Prospectum miseris, obscuræ noctis amictu
Squallenti obsesso picea inter nubila cœlo)
Haud mora tota ruit, flumen repetítque virorum
Læta cohors, operi incumbit: quæ robora dantur,
Molitur valida, volvítque, trahítque, levátque,
Protrudítque manu, variè collectáque cogit
In cumulum, stipátque, & acervos addit acervo
Provida. Quippe timet, nimbos ne fortè nivales
Turbidus hiberno Boreas si volvat ab axe,
Et glomeret gelidas flocco turgente procellas,
Nix ea sparsa tegat, frigúsque laboribus addat
Triste necem. Posthæc rhedis instructa gemellis,

Non

Non intermiſſo duro vigilíque labore,
Haud pertæſa viam, paſſus bis mille ter amplos
Complexam, bis ſeptenis adnixa diebus,
Omne bipartito procul advenit agmine lignum.
Inde loco domui lecto, licet ipſa ſat artis
Turba rudis (nam fabrorum nulli arte ſecundum
Solibus atra tribus mors hauſerat antè magiſtrum.)
Vrget opus tamen, accelerátque, ſubítque labori
Impigra non ſueto. Ponit quadrata rigenti
Fundamenta ſolo, manibus molimine magno
Robora ſubvolvit, moles & molibus aptat
Ingeminans, trabibúſque trabes ſuperaddit acernas,
Et tabulas tabulis, & tigna trabalia tignis.
Quáſque adeo crudus vacuo fòrs aſſer hiatu
Oſtendit rimas, ſtupis arentibus opplet.
Poſtibus inde fores addit, tollítque caminum,
Qui vacuum piceos expiret in aëra fumos:
Aſſeribus tectum incruſtat, munítque supernè
Culmina ſectilibus tabulis congeſta, ſupérque
Ingentes cumulos, minuat quæ frigus acerbum,
Aggerit effoſſæ tectóque inſternit arenæ.
Laſſat opus ſtudiúmque viros: creberrimus armis
Propulſandorum laſſat immane furentum
Impetus urſorum, & concretus frigore potus.
Quippe bibunt non hauſta cado: glacialia duro
Cæſa cado gladijs aut igni fragmina liquant,
Aut data fruſta bibunt. Verùm nihilo minus ægrûm
Languentúmque virûm fervet labor omnis, & omne
Sudat opus. Animos urgentia mille pericla,
Inſtantéſque addunt (mirum) mille undique caſus.
Vix dum ceſſat opus, multo languore pereſis
Arridéntque rudis blandùm faſtigia tecti:
Turba ſuam viſit cum puppem nautica, dudum

Domuncula magna cum moleſtia extruitur.

Urſi tres navim petentibus infeſti.

E Cœru-

Cœrulea ſtantem glacie, bis quinque virorum
Præſidijs gelido ſervatam in littore, rhedíſque
Adductis reliquum parat aſportare bonorum.
Ecce autem vaſtâ tria corpora mole ruentum
Vrſorum improviſa adſunt, atque agmine certo
Agmina feſſa petunt, rictúque minantur hiulco.
Hîc Bernardiades, navis ductórque bipennem
Quiſque rapit (rhedis armorum nil datur ultrà
Ambabus) fidénſque trucem ſeſe armat in hoſtem.
At reliqua extemplo notâ ſe condit in alvo
Nautarum ſtupefacta cohors, fugiénſque carinæ
Inſilit. Hos ſectans urſorum turba fatigat.
Auxilio ſubeunt illi, rhedáſque relinquunt,
Præſidióque tegunt ſe navis. Cæca furore
Certatim illa rati inſultat, pede pulſat & urget,
Aſcenſúque tenax tabulas ſuperare laborat.
Quid faciant? non bina viris niſi ſola bipennis
In promtu miſeris, furibundorum arma potentum
Cædibus imparia urſorum cladéſque minantum.
Arripiunt titulo armorum non digna vocari.
Stipite res geritur valido, ſudibúſque præuſtis.
Ramorum ſeges incurſum proiecta moratur:
In quam, more canum, miſſam (res mira) ruítque,
Mordicus & rabido bis ter quater ore petito
Ligno, inſana pecus vindictam poſcit ab armis
Indignans: haſtas donec ſclopóſque carina
Navita glandivomos petit, atque in fomite flammam
Accenſo rapit. At, nondum benè ſic ſatis hiſce
Monſtra coaptatis gravioribus acta procellis
Irarum igneſcunt, furijs magis effera diris
Inſultúque novo, ſuperant cervicibus altis.
Aſpirat fortuna tamen. Nam fortè bipennis
Vt rectà nares graviore per unius ictu

Fertur

Fertur adacta feræ, adversúmque os perforat alto
Vulnere, paullatim se proripit illa doloris
Impatiens: reliquæ fugientem ponè sequuntur:
Præsentíque simul lethi discrimine liber
Nauta trahis, rerum quicquid superabat, onustis
Rellictos repetit socios, salvúsque revisit.

Et iam tempus adest, nox cùm brumalibus umbris, Nocte perpetua trimestri vulpes pro ursis albæ apparent.
Lumine Luna novum repleat dum tertia cornu,
Et iugi superinducta caligine pontum
Induit obscurum: terra latet usque sub alta,
Nec patulum rapidi vis flammea Solis Olympum
Altiùs Oceano nitidis invecta caballis
Astrivago repetit curru, terrísque tenebras
Subiectis, gratis vicibus lucémque reducit:
Vrsorum genus omne fugit, lustrísque profundis
Se occulit, atque hominum conspectu longiùs arcet:
Próque illis toto candentes corpore vulpes
Hactenus haud visæ, furiásque minásque paventes
Vrsorum, latebris crebræ extruduntur opacis.

His solers meditata dolos fraudémque iuventus Capiuntur multæ.
Nautica, fune trahit contorto retia, raris
Disponítque locis, foveásque in littore cœcas
Excipulásque plagásque parat, laqueósque tenaces,
Currentémque ligat pedicarum compede turbam
Optatò. Victu nam deficiente ferinas
Captarum subigit suadétque absumere carnes
Dura fames: ægros defendere pellibus artus
Aspera suadet hyems, & non tolerabile frigus.
Nam, si cui linguæ centum sint, lumina centum,
Temporis illius non casus, non mala fando
Explicet, aut possit lachrymis æquare labores.

Ah! quoties summi superans fastigia tecti Hyemis incommoda do-
Præcludit nix alta fores, cogítque camino

mestica sunt plurima.

Vti pro foribus? quoties fragor aut collisæ
Horrendus glaciei, aut scissæ Aquilone pavores
Vicino pelago trepidos iterúmque iterúmque
Incutit, & sonitus vastum arduus æthera pulsat?
Ah? quoties structo gravis exhalatus ab igni
Fumus non sese sursum per inania librat
Nubila, fumigero nec celsiùs ille camino
Rectus abit? quoties mixtos candente procella
Præcipiti regerit fumos Aquilone favillâ,
Tartareámque domus glomerans per inania noctem,
Prospectúmque omnem eripiens, tectúmque foresq;
Obsidet, assiduáque gravat fuligine postes?
Ah! quoties fumo sic infestantur oborto
Lumina, ut urentis vel summo frigore brumæ
Aut nudare focos & demere nutrimenta,
Fumifico aut dare ligna foco semusta nivali
Cogantur gleba, gelidáve exstinguere crusta?
Quin ipsum quoties adeo intolerabile frigus,
Intensúmque, peti ut foribus præ frigore clausis
Vix propiora foco languenti pabula possint!
Tecto efferre pedem nemo audeat, aut Aquilone
Occlusas reserare fores bacchante, videre
Aëra, ventorúmque vices inquirere? celsis
Linteolo exerto captetur & aura caminis?
Prægelidum flammis nec adusto corpus amictu,
Tergeminis tectum braccis hirtisque ferarum
Pellibus, incaleat? lucentes navita canis
Ante focum residens ostendat terga pruinis
Hispida? parietibus, spondísque gelu crustatis
Halituum nebulæ bino plus pollice crasso
Non nisi crusta domus glaciésque appareat intus
Perpetua? aggestis vel flammifer altiùs igni
Roboribúsque impar nequeat focus ipse trementes
Cal-

Calfacere,& gelidum membris defendere frigus?
Fortè ſemel gravidâ foſſas tellure,maligni
Frigoris heu telo ſtimulante,bitumine pingues
Confugit ad glebas improvida turba,focóque,
Ligni parca,feræ & quærens medicamina brumæ,
Apponit: magno ſed cum diſcrimine lethi.
Nam ſimul extructo benè ſat domus incalet igni:
Iámque calens lecto languenteis quilibet artus
Immergit,placidæque hilaris dat membra quieti:
Ecce,ut victa iacent ſomnóque oppreſſa profundo
Corpora,vertigo ſocios horrenda repentè
Correptos glomerat: verùm non omnibus æqua.
Proſilit extemplo ſtratis,qui fortior,unus:
Oſtia feſtinus pandit: tenebríſque ſubortis,
Proh dolor,ante fores medius nive concidit alta
Semianimis. Audit Bernardius,oſtia propter
Fortè cubans propior: properat,promtúſque miſello
Addit opem,trepidánſque petit non ſegnis acetum,
Ora per effundit,cervicem labráque ſtillans
Irrigat,& gelidis aſpergit tempora guttis,
Auxilióque levat,ſenſúſque animámque labantem
Paulatim revocat, viréſque in priſtina reddit.
Sentit & alter,& excutitur,titubánſque rotato
Vertice mox caſulam ſuperat,tegménque camino
Arcendóque gelu,compeſcendóque calori
Impoſitum demit,fumorum adopertáque pandit
Oſtia. Sic omnes frigus reſtaurat ad unum:
Et quæ cauſſa mali fuerat,fit cauſſa ſalutis.
Et jam cœlivagos iterum Phœbeïa lampas
Oſtendebat equos,cœlóque excelſior ibat:
Brumalíque diu tectæ caligine terræ
Lumina reddebat: vulpes non amplius ullæ
Cùm de more ruunt,& formidanda relictis

Redeunt Sole ſe rurſus oſtẽdente urſi,& moleſti ſunt.

 Vrſo-

Vrſorum magno rabies redit agmine luſtris.
Fortè horum certo tuguri petit oſtia greſſu
Vnus de numero: miſſa quem navita glande
Sclopeto ferit ignivomo, tranſfigit, anhelum
Sternit humi. Subit auxilio, crudóque cadenti
Semineci monſtro nondum benè fiſa iuventus
Vulneribus medium plumbo per corpus adacto
Cautior ingeminat vulnus, tabóque fluentem
Cominus aggreditur, mucronibus inguen obeſum
Perforat, extenſum miſſâ latus eruit haſtâ,
Dextrahit exuvias, decies denûmque potita
Arvinæque adipíſque latentum ſub cute pondo,
Exin perlongæ ſolitum bruinalia præter
Tempora ſic noctis accenſa lampade vincit.
Hoc facto, rabie ventris ſtimulante faméque
Altera nocte ruens en impete bellua certo
Culmina conſcendit caſulæ furibunda, camino
Fortiùs inſultat, vinctus quo tegmine velum
Mordicus apprendit, lacerat, luctatur, & uſque
Vim facit, ac rapido tuguri pede culmina pulſat:
Naribus, ore ſuper ronchos fremitúmque tonantem
Ingeminat, raucis ululatibus æthera complet,
Pectora terrificat miſerorum, auréſque fatigat.
At tandem bacchata diu, perrumpere tectum
Neſcia, deſperans prædam ſe proripit ultro.
Sed quid ego urſorum crebrò repetita furentum
Ad caſulam malè grata novans exempla revolvo?
Quæ ſi cuncta meis complecti verſibus optem,
Altiùs & prima repetens ab origine pergam,
Antè diem clauſo componat veſper Olympo,
Interea pro nocte dies gratiſſima ſerpit,
Die perpetua de abitu consilium capitur.
Perpetuùm pulſiſque ſubit lux clara tenebris,
Nec ſe Phœbeus totum occulit amplius ignis:

Donec

Donec equis plenum reparato candida cornu
Cynthia conversis novies glomeretur in orbem:
Spémque viris abitus auget. Namque omnibus idem
Invisa est animus jamdudum excedere terra. (stros.
Linquere non gratum hospitiũ, & dare puppibus Au-
Sed quando obsessæ glaciali monte carinæ
Vtendæ spes nulla datur, mediáque tenentur
Morte viri: laceros ad iter, si detur abire,
Fluctúque & glacie statuunt aptare phaselos,
Atque his ad patrios retro, quando ultima cernunt,
Conari remeare focos, vitámque tueri.
Accingunt omnes operi, conamine magno
(Namque malis fessi ac languentis frigore robur
Corporis heu tanto vix par imbelle labori)
Subducunt nivium montosa per agmina lembos,
Per glaciémque trahunt: tractos gurgustia ponè
Sistunt, ædificant: antennas, carbasa, malos,
Remósque, clavósque viri, nec non genus omne
Armamentorum, quæ postulat usus, adornant.
Quo facto, nivium magno molimine montes
Capreolis, rutris, marris, validóque ligone
Tota cohors intenta ruunt, æquántque: per altam
Aequoreos glaciem ad latices aditúmque viámque
Expediunt: celeres lapsúsque rotásque phaselis
Subijciunt, funem intendunt, trudúntque trahúntq;
Annixi pariter, cymbásque ad cœrula sistunt:
Quodq; penus reliquum, lectósq; ac stragula stipãt.
Insuper & tuguri medio suspensa camino
Scripta restauratis abituri gurgite lembis
Rellinquunt: doceant quæ, si malè gnarus eundem
Deveniat quis fortè locum rate nauta, misellis
Quæ fortuna viris, Arctoa per æquora quondam
Navi ad Chinæas duplici nitentibus oras

Cymbæ laceræ ad iter aptantur.

Viâ ad mare expeditâ stipantur.

Scriptum in domuncula relinquitur.

Incas-

Incassum, fuerit: quæ caussa coëgerit illinc,
Exhaustis ter mille malis, ad patria cursum
Retrorsus gemino convertere littora lembo.

Cymbis singulis sua sunt commentaria.

Quin & gestarum sunt commentaria rerum,
Perpessique mali redeuntibus addita cymbis:
Quæ, si diversas illæ vertantur ad oras
Excussæ cursu, aut fluctus cœlive ruina (tex,
Opprimat alterutram, aut rapidus voret æquore vor-
Fortè aliâ reduci cursum servata molestum
Edoceant, quos scire opus est, moneántque laborum.

Nova Zemla deseritur.

Iámq; ubi prima fides pelago, tumidũ minùs æquor
Fluctibus, & lenis crepitans vocat Auster euntes,
Arctoas repetunt undas, & inhospita linquunt
Zemlææ nimiùm benè cognita littora terræ.

Ad insulas Auraïcas cymbæ glacie obsidentur.

Vix è conspectu invisæ telluris in altum
Spémque metúmque inter dubij dant vela: carinas
Cum glacies congesta recens velut aggere cinctas
Obsidet, & secum perlongo limite raptas
Forsan ad Auraïcas feliciter applicat oras.
At fortuna brevis. Simul hinc solvere, subinde
Vi glacies maiore ruit, ratibúsque minatur
Exitium, & circum nebularum fundit amictus.

Moriuntur duo primarij viri.

Hîc stupefacta viris solvuntur frigore membra:
Consilium desit, nec quid fugiántve petántve
Inveniunt. Melior visa est sententia, lembos
Exonerent, ægrósque ambos (duo namque laborant
Iamdudum graviùs, curæ casúsque levamen
Infesti, Bernardiades unus, satus alter
Andrea) in glaciem exportent, lectísque reponant.
Pòst vacuos etiam glaciali ex æquore lembos
Subductos campo statuant, lacerásque carinas
Instaurent. Ergo haud segnes quæ visa facessunt,
Præsenti & sic se eripiunt discrimine. Sed spem

Conceptam minuit mors heu inopina ſalutis
Arte ſecundorum nulli & virtute virorum,
Spernentum mortis, cœpti autorúmque laboris.
Nec tamen audenti cedit fiducia nautæ.
Numinis auxilio fretus connititur uno:
Haud temere. Oſtendit ſe ſpes nova: redditur æquor
Liberius: verùm haud longo ſine redditur undis
Bina labore ratis. Pergunt titubante ſubinde
Et ſorte alternante vices: pelagóque volantes
Saxa per & glaciem primùm Solaminis, inde
Naſſovios cernunt montes: At tangere littus
Non datur: obſeſſos glacies premit undique, & Auſtri
Inſurgunt, totúmque ruunt à ſedibus imis
Aequor, & ingentes volvunt ad littora fluctus.
Scinduntur vela, antennæ franguntur, hiánſque
Aequoreas ratis haurit aquas: letum omnia præſens
Intentant. Sed ſeſe optatò flamina ponunt
Sæva volente Deo, cymbáſque in tuta repoſtas
Naſſovios ultra montes & cœrula ſiſtunt.

Insula Solaminis pergentibus ſe oſtendit.

Ad promontorium Naſſovium tempeſtas lembos afflictat.

Vix benè ſervatos ſatis illætabilis ora
Accipit. Apparet longè Crucis inſula, magnæ
Terra ferax crucis. Hîc maiora pericula rurſus
Circumſtant. Quoties glacie velut aggere ſeptum
Et lacerum campo glaciali attollere lembum
Suadet hyems? quoties ſub velo corpora panſo
Feſſa labore gravi placidum captura ſoporem
Opprimit urſorum mare per glaciémque ruentum
Sævorum rabies? quoties mercéſque cibóſque
Ad Solem & ventos udos aſpergine ſalſa
Exſiccant? quoties magno conamine puppes
Reſtaurant? quoties longo molimine paſſus
Mille per integros annixi in cœrula rurſus
Blandis vela viri placidíſque vocantibus Euris

Ad Crucis inſulam multa cruciant.

Detru-

Detrudunt? Tandem post mille pericula, casus
Mille malos fortuna favet. Felicibus auris,
Liberiore salo vectis Crucis insula cedit.
Inde sinum superant Nigrum. Prætoria post quem
Insula se tollit: bis centum ubi monstra carinas
Dentibus oppositas circumfunduntur eburnis
Noxia, vim faciunt. Sed enim discrimine ventus
Eripit Arctoïs vehementior excitus oris.

Ad insulam Prætoriam VValruschæ vim faciunt.

Carbasa plena tument. Apparet euntibus ultrà
Planciacum littus: promontorij inde cacumen
Cantiaci, & gemino minitantes vertice cœlo
Navifragos fugiunt scopulos. Crucis angulus inde
Cernitur: inde sinus Laurentius. Hîc duo sese
Post varios illic casus actósque labores
Russiaci ostendunt lembi. Gaudétque timétque
Belgica turba: hominum visu lætantur: at hosti
Offerri metuunt: adeunt tamen. Ilicet illis
Hi visis opera haud segnes ratibúsque relictis
Occurrunt, iungunt dextras, blandúmque salutant:
Nassovici quondam memores prope littora porthmi
De numero vidisse duos: ratibúsque receptos
Qua possunt ratione iuvant: ventóque secundo
Hospitibus cursum præeunt. Sed protinus atræ
Prospectum heu nebulæ eripiunt, Batavæque carinæ
Amissis socijs, qua parte est insula duplex,
Zemlanæ extremo sistuntur littore terræ.
Post nebulam valido stridens Aquilone procella
Assurgit, nimbúmque trahit: furit æstus arenis:
Nec pluviam prohibere valent quæ vela carinas
Strata tegunt: insueta viris res & nova: quos iam
Non toto pluviæ vel gutta rigaverat anno.

Ad sinum Laurentij duo lembi Russici occurrunt, cursum præeunt.

Vt pelago desævit hyems, Boreásque minarum
Desijt, obliquant cursum, Zemlæque molesto

Russicum littus legitur.

Litto-

Littore Nassovióque freto post terga relicto,
Russiacas ducente Deo vertuntur ad oras.
Hîc oblata famem, miseros quæ dura fatigat,
Barbara non ratis una levat, tenuatáque victu
Membra virûm reficit: cursum docet. Inde per æquor
Pissoricum vectis sese Colgoïa tollit
Insula: cùm socias tempestas magna carinas
Disijcit: & bis quinta dies erroribus actas
Albenti pelago varijs plenísque laborum
Lappiaco lætas vix demum littore iungit.
Hîc nova res oblata viris levat anxia curis
Pectora. Lappiaci (quæ gens fera, barbara vulgò
Creditur, immanísque) cibi genus omne ministrant:
Consilio officióque iuvant: statione teneri
Colana Batavásque rates, abitúmque parare
Expediunt: mittunt, rem qui cognoscat, ituras
Qui teneat, reduces peregre Belgásque precetur
Expectent. Redit ille citus: tradítque sodalis
Ripani à socia vento glaciéque carina
Mensibus avulsi bis sex volventibus olim,
Arctoúmque fretum penetrare parantis ad Indos
Scripta manu: qui iam, ut patrias repetiverat oras,
Vanum emensus iter, rursum mercantibus illinc
Colanum extrusus portúmque sinúmque tenebat.
Litterula vix dum lecta, mirantibus illis
Barbarica rate vectus adest Ripanus: olivi
Panísque carnísque ferens, zythíque, meríque
Quod satis: & dicta citróque ultróque salute,
Fessa malis, multáque fame tenuata suorum
Raptorum letho sociorum corpora curat:
Tum secum abducit. Simul his Colana propinquat
Tellus, & virides vicino in margine passim
Fluminis apparent frondes, nova gaudia mente

Russi de cibo prospiciunt.

Ad insulam Colgoiam tempestas.

In portu Colano Ripanus invenitur.

Concipiunt (quia vel toto quo tempore circum
Errarant, frondem aut viridantia gramina nusquam
Cernere contigerat miseris) sibi vivere visi
Orbe novo, salvíque satis: Coláque recepti
Bis quinis animum laxant corpúsque diebus.
Inde domo cymba mercantum utraque reposta,
Erroris longi demirandíque laboris
Indice, barbarica fluvio rate vecta secundo
Nautica Ripanam conscendit turba carinam.

Colæ relictis lembis, depositísque in domo Emporica, cum navi Ripana post octo decim menses re infecta domum reditur.

Linquunt Lappiacos portus, pelagóque volantes
Dura legunt cœcis Norvegica littora saxis:
Et reliquum ventis mensi felicibus æquor,
Ter senis miserè fructu sine mensibus actis,
Optata tandem patria potiuntur arena.

FINIS.

Ad Zoïlum.

Ne frontem capera, neu nasum, Zoïle, crispa.
Vel solo vates tempore tutus erit.
Nempe opus hoc quinta ætatis trieteride panxit:
Et correcturum mors properata tulit.

